



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De hoc si pax in sublimibus retineatur. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

prophetarum eius. Sed quia Ahab rex peccatis praecedentibus dignus erat, ut tali debuisset deceptione damnari, quatenus qui saepe volens ceciderat culpa, quandoque nolens caperetur ad poenam: occulta iustitia, licentia malignis spiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati poenam etiam nolentes trahant. Quod ergo illic a dextris atque sinistris Dei, exercitus caeli assistisse describitur, hoc hic inter filios Dei satan adfuisse perhibetur. Ecce a dextris Dei steterunt angeli, qui nominantur filii Dei, ecce a sinistris stant angeli: quia adfuit inter eos etiam satan.

Quod immundi spiritus in hoc caeli terraeque medio vagantur. Cap. XLIX.

PAULO ante iam diximus, unde & aues caeli nominamus. Et scimus, quod immundi spiritus, qui a caelo a thereo lapsi sunt, in hoc caeli terraeque medio vagantur. Qui tanto magis corda hominum ascendere ad caelestia inuident, quanto se a caelestibus per elationis suae immundiciam proiectos vident.

Grego. in suis moralibus dicit.

De hoc si pax in sublimibus retineatur. Cap. L.

SED inter haec libet inquirere, si pax in sublimibus summa retinetur, quid est quod per angelum Danieli dicitur? Ego veni propter sermones tuos, princeps autem regni Persarum restitit mihi, xx. & vno diebus, & ecce Michael vnus de principibus, primus venit in adiutorium mihi. Et paulo post: Nunc reuertar ut praelier aduersus principem Persarum. Cum enim egrederer, apparuit princeps Graecorum adueniens. Quos itaque, alios principes gentium nisi angelos appellat, qui sibi resistere exeunti potuissent? Quae ergo esse pax in sublimibus potest, si inter ipsos quoque angelicos spiritus praeliandi certamen agitur, qui semper conspectui veritatis assistunt? Sed quia certa angelorum ministeria dispensandis singulis, quibusque gentibus sint prelata, cum subiectorum mores aduersum se vicissim praepositorum spiritu operaretur, ipsi qui praesunt spiritus contra se venire referantur. Is namque angelus, qui Danieli loquebatur, captiuus Israelitici populi in Perside constitutus praelatus agnoscitur Michael autem eorum, qui ex eadem plebe in Iudaea terra remaserat,

Ex iisdem.

RR iiii

præpositus inuenitur. Vnde ab eodem angelo paulo post
Danieli dicitur. Nemo est adiutor meus in omnibus his,
nisi Michaël princeps vester. De quo & hoc quod præmissis
mus, dicit. Et ecce Michaël vnus de principibus, primus ve-
nit in adiutorium mihi. Qui dum nequaquam simul esse,
sed venire in adiutorium dicitur, aperte ei populo prælas-
tus agnoscitur, qui captus in alia parte tenebatur.

*Quod diaboli voluntas semper sit iniqua, potestas au-
tem eius nunquam iniusta. Cap. LI.*

Ex eisdē.

Sciendum verò est quia satanæ voluntas semper iniqua
est, sed nunquam potestas iniusta: quia à semetipso vo-
luntatem habet, sed à domino potestatem. Quod enim ip-
se facere iniquè appetit, hoc Deus fieri non nisi iuste per-
mittit. Vnde bene in libris Regum dicitur: Spiritus domi-
ni malus irruerat in Saul. Ecce vnus idemq; spiritus, & do-
mini appellatur, & malus domini videlicet per licentiam
potestatis iusta, malus autem per desiderium voluntatis in-
iusta. Formidari igitur non debet, qui nihil nisi permissa
valet. Sola ergo vis illa timenda est, quæ cum hostem fa-
uere permiserit, ei ad vsum iusti iudicij, & iniusta illius vo-
luntas, seruit. Paululum verò manum postulat extendi, quæ
exteriora sunt quæ expetit conteri. Neque enim satanæ
cere se aliquid multum putat, nisi cum in anima sauciatur,
ab illa patria feriens reuocet.

*Quod quatuor modis loquatur Deus ad diabolum, &
tribus modis diabolus ad Deum. Cap. LII.*

*Gregor.
in suis mo-
ralibus.*

Sciendum verò est, quia sicut hoc loco discimus, III.
modis loquitur Deus ad diabolum: tribus modis diabo-
lus ad Deum. Quatuor modis loquitur Deus ad diabolum,
& iniustas vias eius arguit, & electorum suorum contra-
illum iustitiam proponit, & tentandam eorum innocentiam
ei concedendo permittit, & aliquando cum de tentare ar-
deat prohibet. Iniustas enim vias eius redarguit, sicut in
dictum est: Vnde venis? Electorum suorum cōtra illum ius-
titiam proponit sicut ait: Considerasti seruum meum Iob,
quod non sit ei similis super terram? Tentandam eorum in-
nocentiam ei concedendo permittit, sicut dicit: Ecce vni-
uersa quæ habet, in manu tua sunt. Rursumque eum a ten-